



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo||nis Episcopi Hal-||berstatten[sis] Homiliarum,  
nunc sexto || maiori [pro] ante hac unquam dili||gentia  
excusarum, || Pars ...**

praeter omnes omnium appendices, accesserunt iam recens homiliae  
aliquot piæ, ante hoc tempus excusæ nusquam

Pars Aestivalis

**Haimo <Altissiodorensis>**

**Haimo <Halberstadensis>**

**Coloniae, 1551**

**VD16 H 222**

Dominica vij. post pentecosten

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39335**

moratur. Vbi intelligendum est, quia post hæc ad propria redierunt, & suimet curam gesserunt. Post ea uero ab illo uocati, ut Matthæus Marcusq; cõ memorant, relictis nauibus & reti, secuti sunt illū, ita ut ulterius ad propria non redirent.

Mat. 4.  
Mar. 1.

DOMINICA VII. POSTPEN  
teosten, ad Romanos VI.

Fratres, quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. & cætera.

**B**eatus apostolus mystice & subtilissime isto in loco loquitur, & uult ostendere, quomodo mysterium mortis, sepulturæ & resurrectionis Christi, ad baptismum nostrum pertineat, & dicit: Nūquid ignoratis fratres mysteriū mortis Christi, sepulturæ ac resurrectionis, quomodo conueniat mysterio baptismatis? Si ignoratis, ego uobis pandam. Sed quæstio oritur in hoc loco: cū dominus præcipiat a postolis in euangelio, in nomine sanctæ trinitatis baptizare credentes, quare apostolus Paulus solummodo personam Christi assumat, dicēs: [Quicumq; baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsi<sup>9</sup> baptizati sum<sup>9</sup>.] Quæ hoc modo soluitur, q̄a Apostolus in hoc loco non tantum rationem & institutionem baptismi describere disposuit, quātum mysterium mortis Christi. & ubi de morte aliquid erat locuturus, indignum duxit personam patris & spiritus sancti ponere, q̄ carnem non suscepit neque mortem: sed personā tantummodo filiī, quæ carnem assumpsit, & pro nobis mortua est. Nec cōueniebat ut diceret. Qui cunq; baptizati sumus in nomine patris & filiī &

Mat. 28.



Spiritus sancti, in morte ipsorum baptizati sumus. Iterum querendum est, quomodo sumus baptizati in morte Christi. Christo mortuo in cruce pro peccatis nostris, qui est caput omnium electorum, omnes electi qui sunt membra eius, commortui sunt peccato capiti suo Christo, uerbi gratia: Sicut ablato & abscisso capite cuiusque animantis, commoritur omnia membra. Ille quidem mortuus est corpore, & nos peccato: quia ipse pro peccatoribus mortuus est, & nostrum peccatum in morte sua occidit. Aliter: [In morte ipsius baptizati sumus.] id est, in fide passionis & mortis eius, quia per fidem passionis Christi & per baptismi gratiam, abluimur a peccatis. Ista enim duo ita coniuncta sunt, ut neque passio Christi sine baptismo, neque baptismus sine fide passionis Christi, nos possit saluare. Dicam igitur & aliter: In morte ipsius baptizati sumus, id est, ad exemplum & figuram mortis eius, ut illi commoreremur peccato, sicut mortuus est ipse corpore: uel ad exemplum mortis eius eo modo, quo in sequentibus dicendum est. Considerandum est enim, etiam tria genera esse baptismi. Vnum tamen in aqua, sicut fuit baptismum Iohannis, quod remissionem peccatorum non dedit:

- Actu. 1.** Aliud in igne uel spiritu, quo baptizati sunt apostoli die Pentecostes, & de quo dominus dicit: Vos autem baptizabimini spiritu sancto, quia spiritus sanctus in igne apparuit super apostolos. Tertium est sanguinis effusio, quo baptizatus est ipse dominus, omnesque sancti martyres, de quo etiam ipse dominus ait filiis Zebedaei: Potestis baptizari baptismo, quo ego baptizari habeo: id est, potestis effusionem sanguinis uestri sustinere? Quorum unus, Iacobus scilicet, eo baptismo baptizatus est, decollatus ab Herode.
- Mar. 20.**
- Act. 12.**



Sed id quoque notandum est, quia in baptismo tria sunt corporalia atque uisibilia, & tria incorporalia atque inuisibilia. Tria sunt uisibilia: sacerdos uidelicet, & corpus baptizandi, & aqua. Et tria inuisibilia: fides, anima quae abluatur a peccatis, & spiritus sanctus, quo operante, remissio peccatorum datur.

Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem. Subauditur, peccati & uitorum. Quomodo possumus uiuentes in carne, cõsepeliri Christo? Si morimur peccato, sicut ille mortuus est in cruce, & baptizamur in nomine sanctę trinitatis, tunc consepelimur ei. Si autem uiuimus peccato, nequaquam possumus consepeliri illi. Consideremus enim quomodo moriamur peccato, & consepeliamur & cõresuscitemur Christo: & quomodo concordet mysterium mortis, sepulture & resurrectionis eius baptismati nostro. Christus postquam mortuus est in cruce, de cruce positus est in sepulchro, de sepulchro tertia die resurrexit. Similiter & nos uementes ad fontem baptismatis, dum abrenüciamus diabolo & omnibus pompis eius, & omnibus operibus eius, morimur peccato, sicut Christus mortuus est in cruce, Christus quoque de cruce sepultus est in sepulchro. Et nos post confessionem sanctę trinitatis, cõsepelimur ei in cognato terre elemento, hoc est, in aqua. Resurrexit ipse tertia die uiuus; & nos post ternam immersionem reuigimus de morte peccatorum ad uitam, ut deo uiuamus in sanctitate, in bonitate, atque in ceteris uirtutibus. Et quasi diceret aliquis Apostolo, Ad quod sumus consepulti cum Christo, subiungit:

Vt quomodo surrexit Christus a mortuis p



gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. ] A mortuis resurrexit Christus, id est, a se pulchro, quod proprie locus est mortuorum. Per gloriã autē dei patris dixit resurrexisse Christum, id est, per uirtutem diuinitatis, ut glorificetur deus pater, sicut ipse filius pendens in cruce, dixit: Pa-

**Ioh. 17.** ter, clarifica filium, id est, suscita illum. Potest etiam intelligi, q̄ ipse filius suscitauerit semetipsum, qui est gloria patris, sicut ei dicit pater in psalmo:

**Psa. 107.** Exurge gloria mea, exurge psalterium, id est, chorus omnium uirtutum. Cui filius: Exurgam diluculo. Præcipit ergo Apostolus, ut sicut Christus resurgens a mortuis, iam nõ moritur, ita & nos in nouitate uitæ ambulare, id est, ut sicut noui effecti sumus in baptismo, ita semper noui & immaculati uiuamus, ambulantes de uirtute in uirtute.

**Mat. 5.** Nouitas em̄ uitæ est, post baptismum criminalia peccata nõ cõmittere, & a leuioribus in quantum possibile est tẽperare: q̄ nouitate innouãtur q̄tidie electi, dñi, pficiunt in uirtutibus, & laudatur deus om̄i potens in illorũ operibus, sicut dicit: Videant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum.

Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, ] id est, Christi. [ simul & resurrectioni erimus, ] subauditur, complantati, id est, coniuncti & conformes. Quidam codices habent resurrectionis, genitiuum uidelicet casum. sed melius est, ut doctores dicunt, dicere per datiuum resurrectioni: quia uerbum complantati, coniungimus ei a superioribus. Arbor complantatur arbori & inseritur. Et Christus arbor est per similitudinem, de quo dicit Salomon: Lignum uitæ est his qui apprehenderint eum. Ipse est etiam arbor ui-

**Pro. 2.**



ræ, quæ est plantata in medio paradisi: hoc est, in  
 medio ecclesiæ. Idcirco autē arbori comparatur,  
 quia sicut arbor pascit, ita Christus pascit non so-  
 lū homines, sed etiam angelos spiritali cibo. Mors  
 etiam eius, arbor potest intelligi: quia sicut arbor  
 ad hoc plantatur, ut fructum afferat plāta ori: ita  
 mors Christi ad hoc celebrata est in cruce, ut fru-  
 ctū salutis & redēptionis afferret mundo. ¶ Quæ-  
 ritur, quare Apostolus dixerit, Si complantati su-  
 mus similitudini mortis Christi: & nō simpliciter,  
 Si complantati sumus morti eius. Mors Christi in  
 hoc loco dupliciter potest intelligi, tam corpora-  
 lis uidelicet quam spiritalis. Similitudini mortis  
 eius corporalis complantamur, quando sicut ille  
 mortuus est corpore pro peccatoribus, nos mori-  
 mur peccato. In hoc enim est similitudo, quia ille  
 mortuus corpore, nos uitijs. ¶ Aliter: Similitudini  
 mortis eius spiritalis complantamur, quādo mori-  
 mur criminalibus peccatis. Ille enim in ueritate  
 mortuus est peccato, quia nunquam peccauit, cui  
 ueritati non possumus complantari & coniungi,  
 quia quam diu sumus in hoc mortali corpore, ex  
 toto carere peccatis lenioribus non possumus, sic  
 ut Iohannes dicit: Si dixerimus, inquit, quia pec- 1. Ioh. 1.  
 catum non habemus: nos ipsos decipimus, & ueri-  
 tas in nobis nō est. Tunc autem similitudinē mor-  
 tis eius spiritalis assumimus, quando eius auxilio  
 freti, criminalia peccata non committimus. Et si  
 complantamur in p̄senti seculo similitudini mor-  
 tis eius tam corporalis quam spiritalis, ut sicut il-  
 le mortuus est omnibus peccatis, quia nunquam  
 peccauit: moriamur & nos omnibus criminalibus  
 peccatis, erimus utiq; complantati & coniuncti re-



surrectioni eius in gloria quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam uidebimus eum sicuti est,

Hoc scientes, quia uetus homo noster simul crucifixus est, ut destruat corpus peccati, ut ultra non seruiamus peccato.

Veterem hominem, ut beatus Augustinus dicit, uoluerunt quidam intelligere corpus: nouum autem, animam. Sed nihil est illud: quia corpus exterior homo a plerisque appellatur: interior uero, anima. Hoc uero in loco ueterem hominem uocat, uitam & conuersationem ueteris hominis Adæ, quæ crucifixa (id est, mortua & occisa) est in baptisate. Quicumque enim adhuc originalibus & actualibus peccatis tenetur obnoxius, quæ Adam perpetravit, & etiam pluribus: uetus homo est & sequax Adæ, quia uitam & conuersationem eius imitatur. Ad quid ergo mortua est & delata illa conuersatio, quæ uetus homo dicitur? [ Ut destruat corpus peccati. ] Corpus nostrum, corpus peccati est: quia nos trahit ad peccatum per delectationem carnis & concupiscentiam prauam. Quod corpus non ita præcipit Apostolus destrui, ut adnihiletur, sed ut quiescat a peccato. Tunc enim quasi destruitur, dum refrenatur & retrahitur a peccato & a mala uoluntate, quam desiderat implere, & quando non permittitur seruire peccato. ¶ Aliter: Peccatum possumus hic intelligere diabolum, qui est auror peccati: corpus uero eius, uniuersitatem uitiorum. Sicut enim Christus caput est omnium electorum, omnesque electi & omnes uirtutes sunt corpus eius: ita diabolus caput est omnium reproborum omniumque uitiorum, omneque reprobi & omnia uitia corpus il-



lius sunt: & ad hoc deleta est uita & cōuersatio ueteris hominis Adæ semel in baptismo, ut destruat̄ur uniuersitas uitiorum, quæ est corpus diaboli, & ut ultra nō seruiam⁹ diabolo. ¶ Bene autē dixit Apostolus, semel mortuum esse ueterem hominē ut admoneat nos cauere criminalia peccata: quia, sicut Christus semel mortuus est & iam non moritur: ita & nos, si semel mortui sum⁹ in baptismo, nō possumus iterum rebaptizari. Qui cū mortuus est (subauditur) semel baptismo in peccato, iustificatus est a peccato: id est, alienus effectus est ab omnibus peccatis. Quapropter debet se custodire, ne iterū polluat se criminalibus peccatis, quia nō poterit iterū iustificari per baptismum. Si autē mortui sumus cum Christo, subauditur, tempore baptismatis, peccato eo modo, q̄ superior sermo texuit: credimus quia simul uiuemus cum illo in celo post generalem resurrectionem.

Scientes q̄ Christus resurgens a mortuis, id est, a sepulchro, quod proprie locus est mortuorum, [iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.] Hoc laborat Apostolus in hoc loco, ut ostendat credentibus, quia si semel remissionem peccatorum acceperunt, non possunt iterum rebaptizari, sicut non potest mori nisi semel. Et sicut Christus resurgens a mortuis, iam nō moritur, ita & nos semper debemus uiuere uirtutibus: q̄a anima quæ peccauerit criminale peccatum, morietur. Quod autem dicit, Mors illi ultra non dominabitur, mortem dupliciter possumus intelligere: siue mortem corporalem atq; temporalē, quæ ad corpus dominata est ei ipso permittente: siue diaboli, qui ei etiā quodāmodo dominatus est per mi-



nistros suos ipso promittente. Intrauit diabolus in cor Iudæ, ut traderet Christum: ipse etiã suavit Iudæis & Pilato, ut eũ crucifigeret. Quod diabolus mors appellatur, qui mortẽ attulit mundo, ostendit Iohannes, inquit. Et nomen illi, Mors.

**Apoc. 6**

Quod enim mortuus est,

subauditur Christus, [peccato mortu<sup>9</sup> est semel.] Iste uersiculus ita distinguendus est, ut primum dicatur, Quod enim mortuus est: ac deinde subsequatur, Peccato mortuus est semel, id est, semper fuit mortuus peccato, quia nunq̃ peccauit. Solus Christus semel mortuus est peccato, id est, semper, quia nunq̃ peccauit. ¶ Aliter: Quod Christus mortuus est corporaliter, semel mortuus est p̃ peccato nostro, nõ amplius: ita & nos semel morimur in baptisate. Possumus tamen post baptisatũ, si peccauerimus, mori peccato p̃ dignã pœnitentiã.

Quod autem uiuit, uiuit deo,

Christus dum mortuus esset in cruce, & sepultus in monumento, uidebatur non uiuere. Sed quid fecit? Intrauit in domum fortis, id est, in infernum: & abstulit diabolo illos quos tenebat, electos: & potestatem etiam quam habebat in hoc mundo, illi abstulit, sicq̃ quadragesimo die resurrectionis suæ ascendit in cælum. Viuit æternaliter deo, id est, in gloria paternæ maiestatis.

Ita & uos existimate, uos mortuos q̃dem esse peccato] tempore baptismatis, [uiuentes aut̃ deo.] Melius habetur in Græco, Cogitate uos mortuos peccato. Et est sensus: Sicut ille qui crucifixus est, nihil aliud cogitat nisi tantummodo omnipotentis dei misericordiam exorat, quatenus eius spi-



ritum dignetur suscipere, sicut & dominus dixit in euangelio ad patrem, In manus tuas commendo **Luc. 23.** spiritum meum, & uos, si quando uenit mala concupiscētia, & delectatio praua inflammat uos ad libidinem & ad cetera mala patrandā, cogitate & reducite ad memoriā, quia in baptisate mortui estis omnibus peccatis, ubi accepistis remissionē peccatorum. Et talia cogitantes, uiuite deo, id est, sapientia, prudentia, castitati, ceterisque uirtutibus. Quicumque enim deo uiuit, omnibus uirtutibus uiuit quae in deo sunt.

DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN. Matthei V.

In illo tempore dixit Iesus discipulis suis Amen dico uobis, Nisi abundauerit iustitia uestra plus quam scribarum & pharisaeorum. Et reliqua.



**Q**ui putant praecepta ueteris testamenti districtiora esse quam noui, discant ex praesenti lectione sua ignorantiam confiteri, audiantque ipsum saluatorem discipulis dicentem: [ Amen dico uobis, nisi abundauerit iustitia uestra plus quam scribarum & pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum. ] Iustitia scribarum & pharisaeorum erat, hominem non occidere: iustitia uero eorum, qui regnum caelorum



- intrare desiderant, maior esse debet, ut non solum homines non occidant, sed nec irascantur, aut odio habeant. Iustitia scribarum & pharisæorum erat, diligere amicum & odio habere inimicum: iustitia autem eorum qui intraturi sunt in regnum celorum, maior debet esse, ut non solum amicum in deum, sed etiam inimicum diligant propter deum, dicente domino: Diligite inimicos uestros, benefacite his qui oderunt uos, & orate pro persequentibus & calūniantibus uos, ut sitis filij patris uestri qui in celis est. Iustitia scribarum & pharisæorum erat, non mœcharicum uxore proximi sui: iustitia eorum qui regnum celorum intrare desiderant, maior esse debet, ut non solum adulterium non perpetrēt in corpore, sed etiam nec delectent in corde, propter illud quod dñs ait: Qui uiderit mulierem ad cōcupiscendum eam, iam mœchatus est eā in corde suo.
- Mat. 5.** Et propter illud Apostoli: Fornicatores & adulteros iudicabit deus. Iustitia scribarum & pharisæorum erat, aliena non rapere: iustitia eorum, qui ingredi desiderant regnum celorum, maior esse debet, ut & propria largiantur, & raptoribus non resistant, domino dicente: Nolite resistere malo, & si quis quod tuū est tulerit, ne repetas. Quibus exemplis profecto patet, quia præcepta noui testamenti tanto sunt districtiora, quanto spiritalia. illa enim quasi parulis & carnalibus carnalia sunt data, in quibus perfectio non est manifestata, sed malitia resecata. Hæc uero spiritalibus spiritalia sunt data quæ non terrenam possessionem, sed celestem præparant mansionem, illis temporali iustitia temporali premiū expectabatur, domino dicente: Obserua & audi præcepta domini dei tui, ut bene sit tibi, & longo ui-
- Ibid.**
- Heb. 13.**
- Mat. 5.**
- Deut. 5. & 6.**



uas tēpore, & Igressus possideas terrā lacte & mel  
 le manantē. Perfectio noui testamenti uitam pol  
 licetur æternā, quam nec oculus uidit, nec auris au  
 diuit, nec in cor hominis a scēdit, q̄ pręparauit de  
 us diligentibus se. Quibus ergo maius pręmiū, p  
 mittitur, maior debet esse iustitia. Aliter: Iustitia  
 scribarum & pharisęorum esse putabatur, quan  
 quam non esset iustitia, quod exterminabāt facies  
 suas, ut apparerēt hoībus ieiunātes, intus autē pleni  
 erāt rapina & iniquitate. Iustitia uero eorū q̄ regnū  
 dei intrare desiderāt, maior esse debet, ut sanctitas  
 quę apparet in corpore, multo magis seruetur in  
 corde. Iustitia scribarū & pharisęorum uidebatur  
 esse q̄d alligabāt onera grauiā & importabilia, &  
 imponebant in humeros hominū, digito autē suo  
 nolebant ea mouere. Iustitia eorum, qui regnū cę  
 lorum intrare uolunt, maior esse debet, ut manda  
 tum dei primi custodiant, nec p̄termittāt q̄ alios  
 custodienda docent uel docuerunt. Iustitia scriba  
 rum & pharisęorū esse cernebatur, q̄d decimabant  
 mentham & anethum & cyminum & omne olus  
 horti, maiora autē legis p̄termittebant. Iustitia  
 eorum, qui regnū dei intraturi sunt, magis abūda  
 re debet, ut sic minima p̄cepta dei custodiant, q̄  
 tenuis maiora non p̄termittant.

Audistis quia dictū est antiquis: Nō occi  
 des. Qui autē occiderit, reus erit iudicio.

¶ Antiquis dictum est, id est, populo Iuda  
 eorum cui a domino per Moysen p̄ceptum erat  
 ut non occideret: aut si quis occideret, & ipse oc  
 cideretur.

Ego autē dico uobis, quia oīs q̄ irascitur fratri



fuo, reus erit iudicio.] Id est, ego nouus homo, q  
 non ueni soluere legem, sed adimplere, quicq; elegi  
 uos de mundo, & mandatum nouum do uobis, ut  
 uos inuicem diligatis, [Ego autem dico uobis, quia  
 omnis q irascitur fratri suo, reus erit iudicio.] Tan  
 ta ergo pœna punitur ira in nouo testamēto, quā  
 ta homicidium in ueteri, secundum quod Iohan  
 nes apostolus ait: Omnis qui odit fratrem suum,  
 homicida est. In nonnullis autē codicibus ita scri  
 ptum legitur: Omnis qui irascitur fratri suo sine  
 causa, reus erit iudicio. Quod quidam ita intelli  
 gendum puta uerunt, quasi tunc ira non esset pec  
 carum, quando ab alijs laesi uel puocati irascimur.  
 Sed radendum est, sine causa. Nō enim sine causa,  
 uel cum causa Christiano fratri irasci permittitur,  
 cui a domino p̄ceptū est, Noli resistere malo, sed  
 percutienti maxillam, p̄be ei & alterā, & p̄ per  
 secutoribus exora. Seruū em̄ domini (ut ait Apo  
 stolus) nō oportet rixari, sed māfuetū esse ad oēs,  
 etiā ad eos qui contraria sapiūt. Et sicut Iacobus  
 apostolo ait, Ira uiri iustitiā dei nō operatur. In ma  
 gna obseruātia charitatis, stimulo irē circūcludit;  
 quia nemo eū quē ueraciter diligit, occidere potest.

Qui autem dixerit fratri suo racha, reus  
 erit concilio.] Racha nec græcum est nec latinū,  
 sed proprie hebraicū. Dicitur enim *רחא*, id ē, in  
 anis & uacuus, quem nos sine sensu uel absq; cere  
 bro possumus appellare. Quidā autē etymologiā  
 huius noīs de græco trahere uoluerūt, putantes di  
 ci pannosum. Græce em̄ pannus *πάχος* dicitur. Sed  
 nos uim huius uerbi subtilius p̄spicientes, nihil ali  
 ud intelligimus esse racha, nisi uocē incōditam, ira  
 ti animi commotionē significātis. Quales sunt in

1. Ioh. 3.

Matt. 5.

2. Tim. 2.

Iac. 1.



reiectiones apud grammaticos, sicut dicitur a dolente heu, ab irascente hei, a cadente atat. Et pulchre dicitur, Qui dixit fratri suo racha. Frater enim noster est, qui eodem precio nobiscum redemptus est, eodem baptismo est regeneratus. Si enim (ut dominus ait) de ocioso sermone rationem reddiduri sumus in die iudicii, multo magis de contumelioso.

Mar. 12d

Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. ¶ Norandum in hoc loco, quia gradatim de minimis ad maiora ascenditur: quoniam pro qualitate peccati uindicta comminatur. In primo enim loco unum solummodo posuit, id est, iram: in secundo, duo, id est, iram, & uocem iræ commotionem significantis: in tertio, tria: iram, uocem & contumeliam. Sicut ergo maius peccatum, est dicere fatue, quam solummodo irasci, uel dicere racha: sic grauius est reum esse gehennæ ignis, quam reum iudicio uel contumelio. In iudicio enim causa discutitur: & is qui reus esse putabatur, nonnunquam innocens inuenitur: in contumelio si quis reus conuictus est, quam pena puniatur, ab alijs tractatur, & adhuc euadere solet. In gehennæ autem ignis, nulla est liberatio. Et ideo in retributione peccati, quantitas peccati designatur. ¶ Gehennæ nomen in tota serie scripturæ ueteris testamenti non reperitur, sed a saluatore primum in euangelio positum cognoscitur. Compositum autem nomen est gehenna ex ge & enno, quia uallis gratuita interpretatur. fuit enim uallis filiorum: Enno iuxta Ierusalem, ubi propter scelus idololatriæ multa iacuerunt cadauera mortuorum. Et ideo ubicumque nomen gehennæ ponitur, inferni pena designatur. Sed ne asperam uideretur saluator protulisse sententiam, cum dixerit reum esse gehennæ ignis eum, qui dixerit fratri suo fatue, sta

Ier. 7. 19  
& 32.

Z v



tim remedium reconciliationis subiunxit, dicens:

Si ergo offers munus tuū ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuū ante altare, & uade prius reconciliari fratri tuo, & tunc ueniens offer munus tuum. ] In quibus uerbis solícite considerare debemus, quantum ipse in nobis fraternum amorem diligit, quantum uel malum discordiæ odio habeat, cum munera ante altare non oblata relinquare iubet, & prius reconciliari fratri. Cū enim dominus nostra non nisi propter nos querat, illi pacis hostiam nequaquam offerre possumus, quam diu fratribus impacifici sumus. Nec putandum est quod et tantum modo munera offerimus, cum manibus oblationem ante altare deportamus, sed quādo orationi insistimus, ac per ieiunium & uigilias carnē maceramus, cū elemosinas tribuimus, hospitē suscipimus, nudū cooperimus, & cætera his similia pietatis opera implemus, tūc munera deo offerimus. Cauendū ergo summo precepto est, ne malū discordiæ contra aliquē in corde teneamus, & propter hoc nostra munera in conspectu dei accepta non sint: quomodo deo placabilem hostiā (ut dictum est) offerre non possumus, quam diu proximis implacabiles sumus. ¶ Notandū autē quia nō ait, Si tu habes aliquid aduersus fratrem tuum: sed, Si frater tuus habet aliquid aduersum te. Tunc enim frater noster aduersus nos habet aliquid, quā nos lædit. Pergendū ergo ē ad reconciliationē. & si ueniam petere uoluerit, quod in nobis peccauit, clemēter est dimittendū, propter hoc quod dominus ait: Cum stabitis ad orandum, dimittite &c. Si autem ueniā postulare noluerit, spirituales fratres

Marc. ii



secretius immittendi sunt, qui cū ad humilitatis satisfactionē puocent, iuxta præceptum dñi dicentis: Si te audire noluerit frater tuus, adhibe tecum unū uel duos, ut in ore duorū uel triū testium stet omne uerbum. Si autem contumax & superbus perseverauerit ille, qui in te peccauit, non necesse est ut tu ei ueniam postules, sed tñ propter deū ex corde dimitte, ut securus accedēs ad altare cēce re possis: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos

Mat. 18.

dimittimus debitorib⁹ nostris, & ut impleatur in nobis qd dñs ait. Si dimiseritis hominibus peccata eorū, & pater ueter cælestis dimittet uobis peccata uestra

Mat. 6.

Quod si ex utraq; parte negligentia cōtigit, ab utraq; uenix satisfactio procedere debet. Hæc tamē discretio in hac recōciliatiōe obseruanda est, ut si ille qui aliū lesit, temporale damnū intulit, quod iniuste abstulit, iuste restituat. Si autē uerbo aut cōuicio tantum proximo fecit iniuriā, sufficere creditur sola uenix postulatio ad satisfactionem. Vnde post reconciliationem a domino dicitur: [Et tunc ueniens offeres munus tuum.]

Ibid.

Esto consentiens aduersario tuo cito dum es in uia cū eo] Forte mouet aliquem ad quærendum quis sit aduersarius noster, cum quo concordare nos iubet dominus noster. Cui respondendū est, qd a aduersarius iste, sermo dei intelligitur, non qd recte aduersarius sit nostre salutis, sed qd cōtra dicit nostre carnali uolūtatī. Verbi gratia: Carnalis delectatio p̄trahere nos cupit ad adulteriū, cōtrarius autē tibi sermo dei clamat: Adulteri regnū dei nō possidebūt. Et alibi: Fornicatores & adu-  
ros iudicabit deus. Et iterū: Qui uiderit mulierē ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in

1. Cor. 6.

He. 13.

Mat. 5.



corde suo. Sin autē audita hac uoce, uitaueris carnalem delectationem, id est, ardorem libidinis freno continentiae restrinxis, concordasti cum aduersario tuo in bono tuo. Dicamus & aliud: suggerit tibi ebrietas & immittit faucibus tuis siccitatē, usquequo uenias ad ebrietatem, sed contradicit tibi sermo diuinus. Videte ne grauentur corda uestra in crapula & ebriitate. Et iterum: Ebriosi regnum dei non possidebunt. Vince ergo delectationem porandi, & concorda cum aduersario tuo. Sic de ceteris uitijs sentiendum est, in quibus caro concupiscit aduersus spiritū, spiritus autē aduersus carnē. Et hæc sibi inuicem aduersantur, ut nō ea quæ uolumus faciamus. ¶ Via autem præfens est uita. Quādiu enim in præfenti uita manemus, quasi in uia & in itinere sumus, & necdum ad patriam peruenimus. In uia ergo cum aduersario nostro concordare iubemur, quia post mortem, nec audiendi uerbum dei, nec emendandi locus erit, Salomone restante, qui ait: Quodcunq; potest manus tua facere, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia est apud inferosq; tu properas. Vnde & de his qui tarde conuerti negligunt, dicitur: Inuocabunt me, & non exaudiam: mane confurgent, & non inuenient me, eo quod exosam habuerint disciplinam, & timorem domini non auerint, nec acquieuerint cōsilijs meis, & detraxerint uniuersæ correptioni meæ. Valde autē timendum est, quod inferitur.

**Ne forte tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris.]**  
 Si audire nolueris, & cum aduersario tuo concordare neglexeris, ipse tradet te iudici, id est, ipse ser



mo dei erit in testimonium tuæ damnationis, qui prohibitor fuit tuæ correptionis. Et non solum sermo dei erit tibi in testimonium, sed & ipse cogitationes aduersum te consurgent, sicut **Apostolus Ro. 2.** ait: Cogitationum inuicem aduersantium, aut etiam defendentium in die, quando iudicabit deus occulta hominū. Nam & ipsa terra, in qua peccamus, nobis in testimonium erit, nisi prius medicina pœnitentiæ sanati fuerimus, teste beato **Iob** qui ait: Et terra aduersum me clamat. Minister autem cui traditur is, qui cum aduersario suo cōcordare noluit, diabolus intelligitur, qui super eos ministerium accipiet iustæ damnationis, qui sponte se tradiderunt prauæ actioni. Ipsos enim exactores habebunt in pœna, q̄s persuasores habuerunt in culpa. Carcer aut̄ infernus est, ubi est uermis qui nō morietur, & ignis q̄ nō extinguetur, de q̄ **p̄ Iohannē in Apocalypsi** dicitur: Omnes blasphemi, fornicatores & adulteri, mittentur in stagnū ignis & sulfuris. **Apo. 21.** Quod autem subiungit,

Amen dico tibi, nō exies inde donec reddas nouissimum quadrantem,] Donec, aduerbium finitum, pro infinito posuit tempore, quod nō solum hoc in loco sacra scriptura, sed etiam plurimis in locis facere cōsuevit. sicut dominus per **Prophetam** ait: Donec senescatis, ego sum, Et **Psalmi Psa. 122.** sta: Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad dominum deum nostrum, donec misereatur nostri. Nunquid aut post illorum senectam deus futurus non erat, aut postquam miserus fuerit nobis, oculi nostri cessabunt respicere illum? non. sed (sicut diximus) finitum pro infinito posuit. Qui locus **Origenianos** destruit, qui



falsa p̄ierate dixerunt: post iudicium dæmones esse soluendos. Sicut enim æternum regnum præparatum est sanctis, ita æternum supplicium reprobis, domino dicente: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Et iterum: Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in uitam æternam. Hinc per Salomonem dicitur: Lignum in quacunq; parte ceciderit, siue ad austrum, siue ad aquilonē, id est, siue in infernum, siue in regnum dei, ibi erit.

Mat. 25.

Ecc̄i. 19.

DOMINICA VIII. POST PEN  
tecosten, ad Romanos VI.

Fratres, Humanum dico propter infirmitatem carnis uestre &c.

**Q**uid est hoc quod dicit Apostolus, Humanū dico? Hoc est, leue & ad complendum facile. Act̄i diceret alijs uerbis: Quia carnales adhuc estis, non potestis propter fragilitatem carnis maiora præcepta ferre & implere, idcirco leuia præcepta uobis committam. Quid enim tam facile, ut Origenes dicit, quid tā leue, quam ut sit homo ita promptus ad iustitiam & ad dei uoluntatem complendam, sicuti ad mala opera solet esse promptus? Multo magis. siquidē leuius potest uirtutibus deseruire quam uitijs, & dei uoluntatem implere quam diaboli. Videamus quomodo, & dicamus pauca & pluribus. Est quilibet latro, & quilibet alius iustitia propria uiuens, non de rapina. Dum latro cruciatur gelu & frigore, & superfluis meditationibus per dies & noctes torquetur, uoluens in animo, expectans in agro, quomodo